

riori elevato, aculeo ante-posito praedita caudam *Trygonum* repetitam videmus. Attamen et ab hac summopere differt, quum aculeus non in anteriori sed ad ultimam tertiam caudae partem insertus sit. Quamobrem *Trygon* bolcanus novum *Trygonum* genus efficiet, nisi generi euidam fossili adscribendus erit. Quodnam autem hoc genus esse poterit?... An *Pleuracanthus*, an *Aulacanthus*, an *Janassa*?... Nemo certe, qui semel tantum dentes generis *Janassae* viderit, se in hoc individuo *Janassae* speciem offendere asseverabit. Genera *Pleuracanthus* et *Aulacanthus* aculeis solum caudalibus nobis innotescunt. Aculeus vero caudalis *Pl. laevissimi* dentibus ad inferiora versus recurvatis et sulco longitudinali axiali inferiori est exornatus; descriptio aculei *Pl. plani* adhuc desideratur; aculeus *Pl. tuberculati* facie externa tuberculata; *Aulacanthi* dentibus serratis gaudent; quum aculeus specimenis nostri dentibus haud serratis, ad anteriora versus revolutis, et crista longitudinali mediana in utraque pagina praeditus sit. Denique a comparatione aculei individui holcani cum aculeis a palaeontologis sub nomine *Myliobatides* descripti discimus, etsi ille *M. acuto* affinis sit forma dentium, attamen crista longitudinali ab hoc magnopere differre.

Novo ergo genere *Trygonum* scientia ditior fiat idque mei erga illustrem zoologum bononiensem in amoris et reverentiae pignus *Alexandrinum* appelletur.

#### DIAGNOSIS.

##### *Alexandrinum* Molin, nov. gen.

*Discus* rotundatus obovate; *os* vix undulatum; *dentes* clipeati centro - cuspidati; *pinnae thoracicae* caput in rostrum breve acuminatum amplectentes; *pinnae abdominales* longe triangulares, postice truncatae; *cauda* disco fere triplo longior, limbo inferiori elevato, usque ad aculeum extenso, absque pinnis; *aculeus caudalis* validus ad ultimam tertiae caudae partem insidens, marginibus serratis, dentibus ad anteriora versus revolutis, et crista longitudinali mediana in utraque facie.

Longitudo disci . . . . .	0·210
Latitudo disci maxima . . . . .	0·280
Longitudo caudae . . . . .	0·360
Longitudo aculei . . . . .	0·098
Latitudo aculei . . . . .	0·008